

# Universitätsbibliothek Wuppertal

**Linguarum Vett. Septentrionalium Thesaurus  
Grammatico-Criticus Et Archæologicus**

**Hickes, George**

**Oxoniae, 1705**

**Widmungsbrief**

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1559](#)

CLARISSIMO VIRO  
 ANDREÆ FOUNTAINE  
 EQUITI AURATO  
 GEORGIUS HICKESIUS  
 S. P. D.



UM sub prælo esset de Numismatibus Saxonis & Dano-Saxonis dissertatio Tua, *vir doctissime*, ad me misit Clypeum argenteum ejusdem peripheriæ, quam in iconæ illius ex adverso vides, Reverendus & pereruditus *Johan. Taylor* Ecclesiæ paroch. de *Harlow* in Com. *Essex*. Vicarius, & Ecclesiæ Cathedr. *Petroburgensis* Canonicus. Repertus erat ante x annos à Colono quodam, qui illum forte cum terra vertebat, dum aratro proscinderet agrum quendam qui juxta *Sutton* jacet, *Insulae*, quam vocant, *Eliensis* oppidum. In lamina plumbi, cum quinque magni ponderis & pretii aureis annulis, centum Nummis argenteis, *Wilhelmo Conquestore* regnante percussis, catinoque argenteo, cui nihil inscriptum erat, ipse qui in ora superficie concavæ inscriptionem Dano-Saxoniam præ se ferebat, affabre erat coagmentatus. Hunc igitur, qui inter Antiquitates Saxonicas locum sibi vendicare videbatur, ne in opere nostro sculptum collocare gravarer, monebant quidam *Philæxæsi*, præsertim in litteris ad me datis vir præclarus *Johannes Covell* Collegio Christi apud *Cantabrigenses* præfectus. Res etiam ipsa monebat, ut à quo consumendo tempus omnium edax forte temperasset, id publici juris faciendo, posteris & æternitati donarem. Quamobrem, cum de loco illi destinando mecum cogitarem, nullus aliis antiquæ Literaturæ Septentrionalis duobus in libris magis idoneus visus est, quam is, qui Numismata Tua continuè sequeretur. tum quod à re nummaria non prorsus alienum cum foret, cum Tuis id connecti Te non moleste laturum crederem; tum etiam maxime, quod in fine Numismatum à Te expicatorum locum opportunum nactus esse viderer, in quo gratum ac beneficiorum memorem animum in Te meum oblato hoc munusculo declararem; qui cum magni laboris, majoris sumptus, & maximi quidem ingenii ac doctrinæ libello Tuo opus meum ornare, ac amplificare voluisti. Accipe igitur, pro summa humanitate Tua *Tabellam* hanc, quam perinde officii in Te mei, ac antiquorum temporum Monumentum in duabus faciebus exhibeo; quarum ambæ prototypum clypeum ad magicum usum esse fabrefactum suadent. Id ut credam faciunt, Primo, *Gyri Runici* qui in superficie convexa cernuntur, quamvis *Runarum* expertes. Secundo, *Rune* sive potius *Runarum* jugationes, ut opinor, *Magicæ*, quas coelatas in fragmento ansæ argenteæ illi clavis umbellatis fixæ (qua quis prehensum tenebat Clypeum) superficies Concava ostendit. Tertio, ipsa Inscriptio, quam Incantamenti genus esse constat; quo quisquis Clypeum in proelio portabat, à metu Mortis securus factus, se invulnerabilem esse putabat. Sic autem à signo Crucis distinctis verbis Inscriptio legenda est.

**† A a a 2**

ÆDVEN MEA GAGEHY O DRIHTEN DRIHTEN HINE A ÆRIE DE  
 ME HIRE ÅT FERIE BTON HYOM SELLE HIRE AGENES FILLES.

Ut vero magis & incantatoribus, iisve qui se tales fingunt, suum arcani sermonis genus semper est, quo in superstitionum animis fidem & reverentiam crent:

ent: sic ista, quæ suppositis punctis notavi, ex Magico isto & occulto verborum genere esse censeo, utpote quæ nihil, quod scio, significant; aut si quid forte significant, illorum sensum me prorsus latere fateor. Reliqua autem Inscriptio-  
nis pars, sic, ni fallor, Latinè interpretari fas est:

O DOMINE DOMINE! ILLVM SEMPER DEFENDE QVI MÈ SECVM CIR-  
CVM GESTAVERIT; ILLI VOTA SVA CONCEDE.

Hæc precationis formula adeo consecratos & quasi munitos Clypeos, ἀπρεσονήσει  
esse factos ignari credulique cuiusvis ordinis homines existimabant. Adeo ut qui  
id genus ullum contra plagas quasi Amuletum in prælio gestaret, securus à metu  
Vulnerum pugnabat.

Supra dixi Clypeum hic exhibitum in agro quodam *Insulae Eliensis* esse inven-  
tum. Quæ palustris Regio, eaque maxima, cum olim esset, loci ingenio freti  
Proceres quidam Angli contra Gulielmum Conquestorem arma illic movebant. Hinc  
vero simile esse puto illum cum Gaza quæ cum eo applumbata erat reperta, Ma-  
gnatis alicujus fuisse peculium, qui cum aliis Normannici jugi impatientibus in  
paludosa terra ista Natura adeo munita à Normannis novis Dominis se suosque  
cum armis tutari voluit. Hæc, ad Te raptim, verbis tantum non extempo-  
ralibus scripsi, celeberrime *Fountaini*. Quæ oratum candidum Lectorem velim us-  
que adeo ut accipiat, donec aut Tu, Tuusve *Willifus* avo *Thoma* nepos dignif-  
simus, aut alias aliquis rei Antiquariæ scientia vobis par, rei tam spissa Nocte  
obvolutæ uberiorem Lucem accersat. Vale. Dabam pridie Kalend. Octobris.  
A. D. M.DCC.IV.

## V O L U M I N I S P R I M I

*F I N I S.*